

axioma; Volatilia à fixis ut talibus figi, & contra fixa à volatilibus volatili-
fari, falsissimum esse. Quod verò per
aërem Salia volatilia consumantur,
per Ignem verò eorundem colliquatio
fiat, & rusticis notum est; Hi enim li-
gna à putredine præservanda, immer-
gunt aquæ, ne ab Aëre attingantur,
atque hâc ratione lapideam duritiem
ipsis conciliant, ut maximorum ædifi-
ciorum ac murorum molem sustinere
possint: quod etiam in aliquibus Ger-
maniæ urbibus, tum verò præcipuè
Venetiis observare licet.

Iidem, lignorum extremitates ter-
ræ immittendas, leviter urunt, ut Salia
volatilia quæ terræ humido acceden-
te facilè consumerentur, adeòq; e li-
gna ipsa corrumperentur, per Ignis
colliquationem se invicem arripiant
ac figant. Pro eorundem Salium vo-
latilium colliquatione, nautæ infimam
navium partem, quæ aquis tegitur, u-
rere solent. Et ne cui ulla dubitandi
ansa relinquatur, afferam exemplum
notum omnibus, quodque nemo non
domi